



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. XVI. De scientia beata animæ Christi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

verbum propriè accipitur, in divinū non dicitur nisi per
so. aliter si autem accipitur communiter, poterit etiam
d. essentialiter. Similiter essentia divina in beati-
fica visione gerit vices verbi hoc secundo modo
sumpti, cum actualitè seipsam beatorum
mentibus repræsentet. Intellectio autem, quo-
modocumque accipitur, vitalitatem dicit, sub-
indeque habitudinem dependentiæ effectivæ à
principio intelligente, & egressum seu emana-
tionem ab illo, quæ divino actui respicitur intel-
lectus creati prorsus repugnat: unde licet essen-
tia divina uniatur mentibus beatorum ut ver-
bum, nequit tamen intellectui animæ Christi sub
ratione intellectus uniri.

~~~~~

## DISPUTATIO XVI.

### De scientia beata animæ Christi.

Ad quest. 10. D. Thomæ.

**C**onsideratā scientiā Christi in communi,  
ad species ejus descendimus, & primo de  
scientia beata, utpote nobiliori & perfe-  
ctiori, differimus: non agimus autem de scientia  
beata Christi, in quantum est Deus, de hac enim  
1. parte Tractatu 3. fuse disputavimus, sed de  
scientia beata animæ Christi, & de hac solum in-  
vestigamus quæ propriè pertinent ad Christum,  
ut ab aliis beatis distinguitur, quæ eam omnibus  
beatis communia sunt, ut objectum visionis  
beata, lumen gloriæ, species intelligibilis &c. in  
Tractatu de visione beata fuse explicata sunt.

### ARTICULUS PRIMUS.

*An Christus, dum esset viator & in terris  
degens, scientiam beatam habuerit, il-  
lamque à primo conceptionis in-  
stanti receperit?*

§. I.

*Veræque difficultas duplici conclusione resolvitur.*

**D**ico primò, Christum adhuc viatorem, & in  
terris degentem, vidisse divinam essentiam,  
subindeque habuisse scientiam beatam.

Hanc conclusionem probat Cano lib. 12. de  
locis cap. 14. variis Scripturæ testimoniis, quæ fuse  
& elegantè expendit, sed locus magis ido-  
neus sumitur ex cap. 3. Joannis, ubi sic habetur:  
Nemo ascendit in celum, nisi qui descendit de celo, Filius  
hominis qui est in celo. Quibus verbis Christus ad-  
huc viator & in terris degens asserit se esse in  
celo: Sed esse in celo, vel in paradiso, idem est  
quod Deum videre, ubicumque videatur, ut S.  
Augustinus notavit Epist. 57. prolato exemplo  
latronis, qui cum in Lybmo futurus esset quoad  
animam, tamen quia ibi visus erat Deum, dicitur  
futurus in paradiso: Ergo Christus adhuc via-  
tor & in terris degens, videbat divinam essen-  
tiam, & scientiā beatā potiebatur.

Notandum verò est cum Cajetanò, super  
hunc locum Joannis, scopum Christi tunc fuisse  
persuadere Nicodemò credendum sibi esse, ut-  
pote testi oculato, & qui ita in terris debebat, ut

**A** simul in celo esset, Deum videns quod nulli  
teriori veritatis testi, nulli unquam Prophe-  
tæ obtigerat, Unde ibidem dicebat. Quis scire  
potest, & quod vidimus testamur. Quis enim  
super omnes est, & quod vidit & audivit de  
celestibus. Ubi Christi testimonium idcirco aliis te-  
monis præferitur, quia non ex auditu tantum,  
alii, sed ex visu testimonium præbuit, ut  
Joan. 1. dicitur: Deum nemo vidit unquam, nisi  
qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Sed Christus  
in hac vita mortali degens, divinitus loc. à  
paternæ gloriæ, & hæc testimonium perhibet.  
Ergo tunc divinam essentiam vidit, & scientiā  
beatā, seu visionē beatificā potuit esse. Quod  
iam testatur mysterium transfigurationis, quod  
fuit signum gloriæ Christi latentis in anima,  
quam tunc in corpus resillire permittit, lucen-  
tius docent SS. Patres.

Potest etiam suaderi conclusio triplici rati-  
one. Prima quam insinuat D. Thomas hic quest.  
9. art. 1. potest sic proponi. Decens est ad  
mentum excellens, & per modum capitis re-  
fluens, præhabeat in se formaliter perfectiōnem  
quas alius communicat: Sed Christus ut homo  
causat in nobis beatitudinem supernam, & con-  
sistentem in visione clara Dei, per modum  
capitis & instrumenti excellentiæ: Ergo oportet  
ut in se scientiam beatā haberet.

**C** Secunda, quæ delumitur ex eodem S. Doctore  
suprà quest. 7. art. 1. sic procedit. Quanto  
quod receptivum est proximis causaliter in fluxu  
tanto magis, & cum majori perfectione, altius  
fluxum participat: Sed influxus gratiæ est à Deo,  
cui maxime humanitas Christi per unionem hy-  
postaticam conjungitur, cum ad idem esse per-  
sonale cum ipso trahatur: Ergo perfectissima  
gratiam participat: Sed gratia perfectissima est  
gratia consummata per gloriam: Ergo anima  
Christi habuit gratiam gloriæ consummatam, id  
est cum beatifica visione consensuat.

Tertia ratio sumitur ex Durando in 3. dist. 11.  
quest. 1. num. 3. ubi sic dicitur: Decens est  
naturæ assumptæ ad supremum esse, ad super-  
mam operationem sibi possibilem elevatam.  
Sed naturæ humanæ Christi, per unionem hypo-  
staticam ad esse supremum, tollitur ad esse su-  
bi, assumpta est: Ergo deuit quod elevaretur  
supremum operari tali naturæ possibile: Sed  
beatitudo in clara Dei visione consistens, est  
operatio suprema humanitati possibilis: Ergo  
debuit humanitati Christi assumptæ ad super-  
mum esse concedi.

Dico secundò, Christum scientiam beatam  
visionem beatificam, à primo instanti conce-  
ptionis habuit. Ita D. Thomas infra quest. 34.  
art. 4. ubi docet Christum in primo suæ con-  
ceptionis instanti fuisse beatum & comprehen-  
sorem, idque probat in argumento sed contra ex illis  
Plal. 64. Beatus quem eligit & assumptus, quod fuit  
dum glossam refertur ad humanam Christi naturam,  
quæ assumpta est à Verbo Dei in unitatem personæ, id  
in primo instanti conceptionis fuit assumpta humanæ na-  
turæ à Verbo Dei in unitatem naturæ: Ergo in primo  
instanti suæ conceptionis Christus, secundum quod homo  
fuit beatus, quod est esse comprehensor.

Eandem veritatem suadere nititur Cano-  
præ citatus, hoc discursu: Christus à primo in-  
stanti conceptionis plenus fuit gratiæ & veritatis,  
ut patet ex illo Joan. 1. Verbum caro factum est  
& habitavit in nobis. Vidimus gloriam ejus quod  
unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

plenum debet sumi in neutro genere, & referri ad Verbum incarnatum, non verò in masculino, & referri ad Joannem Baptistam, ut perperam exultavit Cajetanus, quem Cano ibidem fusè impugnat: Sed si Christus ab initio scientiā beatam, seu visionem beatificā, non esset potius nonfuit, seu visionem beatificā, nec gratiā, nec veritatis plenitudo: Ergo scientiā beatam, seu visionem beatificā, à primo instanti conceptionis habuit. Sequela minoris probatur. Cui deest suprema gratiā perfectio, & summa veritatis cognitio, nec gratiā, nec veritatis plenitudo dici potest; cum tantum à plenitudine, quantum à perfectione aliquis deficiat: Sed suprema gratiā perfectio est consummatio per gloriam, & summa veritatis cognitio in visione beatifica sita est: Ergo Christus sine illa, nec gratiā nec veritatis plenitudo existeret.

Nostram conclusionem probant etiam tres rationes pro præcedenti adductæ: Nam Christo adhuc viatori scientiā beatam competere ostendimus, quia est caput hominum & Angelorum, ac proinde oportuit ut haberet omnes perfectiones membrorum; quia fuit intime conjunctus causæ influenti gratiā; & quia decens fuit ut naturæ ad supremum esse assumptæ, suprema operatio concederetur: Sed Christus ut homo ab initio conceptionis fuit caput hominum & Angelorum, & ex tunc causæ influenti gratiā fuit intime conjunctus, illiusque humanitas ad supremum esse assumptæ & elevata: Ergo à primo conceptionis instanti, scientiā beatā, seu clarā Dei visionem, potius est: Unde Psalmo 21. Christus Patrem alloquens ait: *In te proiecisti sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu.* Quæ verba glossans Eusebius lib. 2. de demonstr. Evang. sic Christum loquentem inducit: *De ventre matris meæ Deus meus es tu, cum enim adhuc intra cellam gestantem me in utero laterem te tamen Deum meum videbam.* Et Richardus Victorinus lib. 2. de Emanuele cap. 22. post multa de plenitudine suavitatis quæ in Christi anima à momento conceptionis abundavit, ut idcirco Christus puer dictus sit butyrum & mel comedisse, subdit: *Summa suavitatis butyrum, cujus participationem expectamus in nostra glorificatione, ipse accepit in ipso ingressu huius mortalitatis, nec nostro more ex parte, sed omni plenitudine.*

Denique suaderi potest conclusio hac ratione: Naturæ assumptæ à Verbo debemus concedere quod majoris dignitatis & excellentiæ est, nisi muneris Redemptoris repugnet: Sed animam Christi fuisse à primo instanti beatam, majoris est dignitatis, quam beatitudine aliquando caruisse, & cum munere Redemptoris non pugnat; cum ad hoc munus salvandum in Christo, sufficit quod simul fuerit viator, ad quod sufficit quod habuerit corpus passibile, & reliquis gloriæ corporum dotibus destitutum; ut & pati promissus posset, & exemplo præluere ad sequenda vestigia ejus. Ergo asserendum est, Christum ut hominem fuisse perfectè beatum à primo conceptionis instanti.

## §. II.

## Objectiones solvuntur.

Contra præcedentes conclusiones in primis obijci possunt quædam Scripturæ testimonia, quibus significari videtur, Christum ante passionem & mortem suam non fuisse beatitudi-

ne donatum: Dicitur etiam Lucæ 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Joan. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Item Apocal. 5. dicitur, Christum, quia occisus est, accepisse gloriam & divinitatem. Denique ipse Christus Joan. 17. his verbis Patrem alloquitur: *Clarifica me Pater claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te.* Ergo Christus dum esset viator & degens in terris, non habuit scientiā beatam, seu visionem beatificā, multo minus in primo instanti conceptionis.

Verum hæc facile diluuntur, dicendo his locis sermonem esse vel de gloria corporis, vel de exaltatione nominis Christi super omne nomen, vel de restitutione unionis hypostaticæ cum tota Christi humanitate, quæ in resurrectione facta est, ut alibi exposuimus; quare hæc & similia Scripturæ testimonia nihil nocent veritati propositæ, & præcedentibus conclusionibus declarata.

Secundo contra primam conclusionem obijci potest difficile argumentum, quod sub hac forma breviter proponitur. Summum gaudium non potest simul compati cum summa tristitia: Sed Christus tempore passionis habuit summam tristitiam, quam Matth. 26. his verbis declaravit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ergo tunc non fuit in anima Christi gaudium beatificum, nec per consequens scientia seu visio beatifica, ad quam necessariò summum gaudium seu delectatio consequitur.

Responderi Cano loco supra citato, Christum mortis tempore, delectatione beatificā caruisse, & tunc retinuisse gaudium beatificum quod suapte naturā à visione beatifica prodire debebat, ut daret locum tristitiæ ad hominum redemptionem: sicut per totam vitam gloriam animæ quasi suppressit, & impedivit ne in corpus efflueret, ut daretur locus merito. Idem docent Valentia in præsent. disp. 1. quæst. 9. Salmeronius tomo 10. tract. 14. ad 4. & Maldonatus in cap. 26. Matthæi §. subtilis in scholiis.

Sed hæc solutio & doctrina displicet aliis Theologis, & merito: non enim subtrahenda est pro aliquo tempore ab anima & voluntate Christi aliqua perfectio beatitudinis quæ in omnibus beatatis reperitur: delectatio autem voluntatis pertinet ad perfectionem beatitudinis animæ: & quidam existimant esse à visione beatifica inseparabilem; quia fieri non potest ut voluntati repræsentetur summum bonum, nempe Deus clarè visus & non delectetur & quiescat in illo: quare si anima Christi pro aliquo tempore caruit huiusmodi delectatione & gaudio, sequitur etiam fuisse privatam pro eodem tempore visionem beatificā quod tamen non potest admitti. Unde S. Thomas infra qu. 46. art. 8. cum in prima objectione, ex contrarietate inter tristitiam & gaudium intulisset, non potuisse Christum tristiari secundum animam, eo quod frueretur delectatione beatificā; ut argumentum solveret, non negavit in Christo gaudium beatificum, sed illo admissio, solutione dedit quam infra subjiciemus.

Respondent secundo alij, quos sequitur Theophilus Raynaudus tomo de Christo lib. 4. sect. 2. cap. 4. quod licet naturaliter loquendo impossibile sit, summam lætitiā simul compati cum summa tristitia, tamen de potentia Dei absoluta possunt esse simul in eodem subiecto, etiam si contrarietatem habeant.

Eccc

Sed

16. Sed hæc etiam solutio (nisi magis explicetur, & aliunde iuvetur) non videtur legitima: Nam licet summa delectatio & summa tristitia, comparatione ejusdem objecti opponantur contrarie, tamen includunt, aut saltem inferunt contradictionem, quia tristitia importat actum per modum recessus & fugæ; delectatio autem dicit actum per modum accessus & prosecutionis: Sed contradictoria per nullam potentiam verificari possunt. Ergo nec summum gaudium & summa tristitia respectu ejusdem objecti simul existere.

17. Confirmatur: De potentia Dei absoluta fieri nequit, ut quis recedat à termino à quo, & simul quiescat in illo, eò quod recessus ab uno termino includat negationem quietis in eodem termino: Ergo similiter est impossibile quod voluntas per summam delectationem quiescat in aliquo objecto, & per summam tristitiam fugiat & recedat ab eo. His ergo solutionibus prætermisissis,

18. Ad objectionem respondeo cum S. Thoma loco citato in resp. ad 1. Majorem esse veram, si tristitia & delectatio sint de eodem objecto, & sub eadem ratione: si verò vel erga diversa objecta, vel erga idem secundum diversas rationes, gaudium & tristitia versentur, quamvis inter se opponantur, nec possint simul in gradibus intensis ex natura rei existere, de potentia tamen absoluta simul existere possunt: tristitia autem & gaudium quæ tempore passionis in anima Christi fuere, vel circa diversa objecta versabantur, vel circa idem sub diversa ratione consideratum; voluntas enim Christi etiam tunc summè gaudebat & delectabatur de visione beatifica, & summè dolebat & tristabatur de peccatis generis humani, pro quibus patiebatur. Item Christus tunc delectabatur de morte ut utili ad redemptionem hominum, & tristabatur de illa prout dissidentanea naturæ: unde potuit fieri, & de facto dispensatione divinâ factum fuit ut summa delectatio non excluderet summam tristitiam.

19. Dices cum Cano: Si hæc solutio valeret, sequeretur nullam tristitiam esse incompatibilem de potentia absoluta cum gaudio de eodem objecto: tristitia enim & gaudium semper objectum respiciunt sub diversa ratione formali; nam tristitia, utpote fuga, illud respicit sub ratione mali & nocivi; gaudium verò, cum per modum prosecutionis se habeat, illud sub ratione boni & convenientis attingit.

20. Sed negatur sequela, nam licet tristitia & gaudium, seu delectatio semper differant & disconveniant in ratione formali sub qua ut argumentum rectè demonstrat, non tamen semper disconveniunt in ratione formali quæ, sed quandoque disconveniunt, quandoque non, subindeque interdum simul stare possunt, de absoluta Dei potentia, ut in præsentia contingit; quia nimirum eadem mors materialiter, secundum diversam rationem formalem quæ fuit inspecta à Christo, ut jam declaravimus: interdum verò implicat ea simul reperiri, ut contingeret, si idem objectum materiale, secundum eandem rationem formalem quæ respicerent: v.g. quod mors Christi per respectum solum ad naturam, vel per respectum solum ad finem redemptionis, simul gaudium & tristitiam terminet, manifestam implicat contradictionem, cum tristitia (ut supra dicebamus) importet actum per modum recessus & fugæ, delectatio verò per modum accessus & prosecutionis se habeat.

A Objicies tertio contra secundam conclusionem: Christus sibi meruit scientiam seu visionem beatam: Ergo eam à primo suæ conceptionis instanti non habuit. Pater Consequentia, implicat quod præmium, præsertim ultimum, sit actum meritum, eo quod meritum se habeat ad præmium ut via ad terminum. Antecedens verò probatur. Perfectius est habere aliquid ex merito, quam sine merito; nam habere aliquid ex merito, est habere illud quodammodo per seipsum, habere autem sine merito, est illud habere ab alio. Nec cet. S. Thomas infra quæst. 19. art. 3. Sed Chri- tribui debet id quod perfectius est: Ergo Christus scientiam seu visionem beatam sibi meruit.

B Respondeo negando Antecedens, nam etiam ceteris in infia, cum agemus de merito Christi, ceteris Christi gloriam sui corporis, & sui nominis exaltationem meruerit, non tamen gratiam & gloriam animæ, quam in primo suæ conceptionis momento à Deo recepit, quare hujusmodi dona non habuit tunc titulo meriti, seu meritis, sed per modum naturæ, & titulo filiationis naturalis, & veluti per naturalem resultatum ex unione hypostatica, ad quam in eo minime ejus humanitas fuit elevata. Unde ad probationem in contrarium dicendum est, perfectius quidem esse per se loquendo habere aliquid ex merito, quam sine merito, per accidens tamen interdum melius esse aliquid sine merito habere, quam per meritum illud acquirere; quandoque licet habere illud ex merito, privat majori perfectione, qualis est habere illud per modum naturæ, & nunquam caruisse perfectione illa. Solutio est D. Thomæ infra qu. 19. art. 3. in corpore sic discuitur: Habere aliquod donum per se, est melius quam habere illud per alium, semper enim quod quæ est per se, potior est eâ quæ est per alium... Item autem omnis perfectio & nobilitas Christi est attrahenda, consequens est quod ipse per meritum habeat illud quod alii per meritum habent, nisi sit qualis carentia magis dignitati Christi & perfectioni ipsius inducet, quam per meritum decreseat. Unde nec meritum, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec meritum atque meruit; quia cum meritum non sit nisi eod quod nondum habetur, oporteret quod Christus quando istis caruisset, quibus carere magis diminueret dignitatem Christi, quam auget meritum.

## §. III.

Corollarium notatu dignum.

E X dictis intelliges, Christum verè à Proprietate admirabilem dici, & à SS. Patribus rectè divinum enigma & paradoxum appellari: in quo enim tot cernuntur mirabilia, & quæ spectantibus videntur pugnantia, ut merito de illis dici possit, Non alibi miranda magis: in eo quippe, ostendimus, beatitudo & miseria, dolor, & gaudium, ac status viatoris & comprehensibilis mirabili quadam divinæ sapientie arte, secretata & sociata sunt, & ut Doctor mellifluus scribit, super missus est, eleganter expendit: in quo agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esurians. Videas si attendas, potentium regi, sapientiam imperii, virtutem sustentari, Deum denique lætentem, & Angelos resipientem, vagientem, sed miserum cooperantem. Videas si attendas, tristitiam latitanti, parvam, salutem parvi, vitam morti, fortunam imperii, sed quod non minus mirandum est, ipsa dei

utur infirmitas latificans, pavor confortans, passio sal-  
vans, mors vivificans, infirmitas roborans.

Similia habet Richardus à S. Laurentio lib. 4.  
de laudibus Dei paræ, ubi mirabilem hanc re-  
tum inter se pugnantium & diffidentium, in  
Christo concordiam, rhythmicâ hac expressione  
elegantè celebrat.

Mirarebis conversio,  
Longitudo brevis efficitur,  
Latitudo constricta cernitur,  
Complanatur profunditas,  
Altitudo demissa subditur,  
Virtus tacet, potestas regitur,  
Infirma mutat firmitas,  
Languet salus, paver fiducia,  
Sordet nitore, plorat lacrima,  
Tristatur consolatio,  
Disciplinam subit prudentia,  
Vilitati se subdit gloria,  
Eger passu refectio,  
Invenitur panis esuriens,  
Aer fit sors indesciens,  
Libertas iugo premittitur,  
Esse subit nunquam incipiens,  
Locus manet locari nesciens,  
Evita mortem paritur,  
Quis hoc vidit, quis istud didicit,  
Quis hoc satis mirari sufficit,  
Et quid est hoc miraculi?  
Quid hoc? Ipse profectu deficit,  
Imo suo defectu reficitur,  
Deus defectum seculi.

## ARTICULUS II.

*Utrum anima Christi per scientiam beatam  
omnes creaturas possibiles in essentia  
divina cognoscat?*

§. 1.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & conclusio  
negativa statuitur.

Utrum certum & indubitatum in Theologia cum  
D. Thoma hic art. 1. supponimus, animam  
Christi per scientiam beatam Deum non com-  
prehendere, tum quia nullus intellectus crea-  
tus, etiam de potentia absoluta, potest Deum  
comprehendere, seu divinam essentiam tam per-  
fectè cognoscere quantum cognoscibilis est, ut  
in Tractatu de visione beata ostensum est. Tum  
etiam quia in Concilio Basilienfi sess. 122. tan-  
quam erronea in fide damnatur hæc propositio  
Augustini de Roma Archiepiscopi Nazarenis;  
Anima Christi videt Deum tam clarè & intense sicut  
Deus videt seipsum. Et 2. part. directorij Inquisito-  
rum qu. 1. inter errores Arnaldi de villa nova  
Medici, damnatos per Inquisitores, secundo lo-  
co ille refertur: Quam citò anima Christi fuit unita  
divinitati, statim ipsa anima scivit omnia quæ Deus  
scit. Est igitur error in fide, asserere animam  
Christi per scientiam beatam Deum comprehen-  
dere, seu cognoscere quantum cognoscibilis  
est. Unde scitè Albertus magnus in 3. dist. 14.  
art. 1. Solus Deus comprehendit se, si enim diceremus,  
eum concludi comprehensione capacitatis animæ Chris-  
ti, videtur mihi quod hoc redundaret in blasphemiam  
Dei et Christi.

Tom. IV.

Hoc, ut dixi, certum & indubitatum est apud  
omnes Theologos. Solum difficultatem ingerit  
testimonium Iudori cap. 48. in Exodum sic di-  
centis. *Sola sibi integrè nota est Trinitas, & humani-  
tati suscepta.* Quæ verba non nisi de cognitione  
comprehensiva intelligi possunt, cum integra  
Trinitatis cognitio competens ipsi Trinitati,  
vera sit Deitatis comprehensio.

Nec valet quod nonnulli Recentiores dicunt,  
testimonium Iudori non fideliter referri à D.  
Thoma hic art. 1. sed in Iudoro lib. 1. sententia-  
rum cap. 3. sic haberi: *Sola Trinitas sibi integrè no-  
ta est, & humanitas à Christo suscepta.* Non valet,  
inquam, hæc evasio, nam licet verum sit quod in  
Iudoro lib. 1. sententiarum cap. 3. qui ad mar-  
ginem D. Thomæ non bene notatur, hæc verba  
legantur; loco tamen à nobis citato, & ex capi-  
te 42. in Exodum desumpto, habentur verba  
quæ retulimus. Et ne quis dicat esse lapsum Ty-  
pographi, notat Iudori Scholastes octo manu-  
scriptos libros, tam Longobardicis quam nostris  
characteribus scriptos, cum ista editione con-  
cordare. Unde cum D. Thoma hic art. 1. ad 1.  
dicendum est, Iudorum hoc dixisse, propter ex-  
cellentissimam cognitionem convenientem a-  
nimæ Christi Domini, quæ nulli alteri creaturæ  
est communis, integræque appellatur, non quia  
sit comprehensiva Dei, nec maxima inter possi-  
biles de potentia Dei absoluta, sed quia est su-  
prema inter possibiles de lege statuta: quemad-  
modum supra disp. 13. art. 2. diximus, animam  
Christi dici plenam gratiâ habituali, non quod  
non sit possibilis major gratia de potentia abso-  
luta, sed quia de lege ordinaria major & inten-  
sior dari nequit. Dici etiam potest, Iudorum lo-  
qui de homine assumpto, ratione divinitatis. Vel  
id dixisse ex opinione apud aliquos tunc rece-  
pra, quod per divinum intellectum cognoscere  
animam Christi, ut rectè observavit P. Nicolai in  
scholiis ad articulum 1. hujus questionis. His  
præmissis, pro resolutione difficultatis propo-  
nitur.

Dico, anima Christi per scientiam beatam non  
cognoscit in divina essentia omnes creaturas  
possibiles. Ita communiter Theologi tam dome-  
stici quam extranei, contra Hugonem à S. Victo-  
re, Alensem, Durandum, Scotum, & alios anti-  
quos, asserentes animam Christi omnia possibi-  
lia in verbo per scientiam beatam cognoscere.  
In eo tamen discrepant, quod Hugo id concedit  
animæ Christi, ratione scientiæ & intellectus  
increatæ, quam ipsi à Deo communicatam esse  
docet, ut disp. præcedenti art. 1. vidimus: alij  
verò animam Christi per scientiam creatam om-  
nia possibilia cognoscere asserunt.

Plures autem ad probandam nostram conclu-  
sionem adducuntur à Recentioribus rationes,  
quæ parum urgent, & facile dilui possunt: unde  
illis prætermisissis, suadetur conclusio ratione D.  
Thomæ hic art. 2. ad hanc formam redacta.  
Cognitio omnium possibilibum in divina essen-  
tia cognita, est divina essentia comprehensior:  
Sed implicat intellectum creatum, & conse-  
quenter intellectum animæ Christi, Dei essen-  
tiam comprehendere: Ergo & omnia possibilia  
in eo cognoscere. Minor pater ex suprà dictis,  
& à D. Thoma hic art. 1. demonstratur.

Major autem in qua est difficultas, sic ostendi-  
tur. Eo modo unum in alio cognoscitur, quo in  
illo continetur: Sed creaturæ continentur in Deo  
ut effectus in causa: Ergo in illo cognoscuntur si-

Ecce 2

cut

cut effectus in causa: Sed cognitio omnium effectuum in aliqua causa, ex vi cognitionis illius, est causa comprehensio: Ergo cognitio omnium possibilium in divina essentia cognita est divina essentia comprehensio. Minorem subleptam sic probat S. Doctor. Quanto perfectius cognoscitur causa, tanto plures effectus cognoscuntur in illa: Ergo non possunt omnes effectus alienius causae cognosci ex vi cognitionis causae, nisi in causa cognita omni perfectione possibili: Sed cognitio causae perfecta omni perfectione possibili, est illius comprehensio: Ergo cognitio omnium effectuum in aliqua causa, est ipsius comprehensio.

30. Rationem hanc D. Thomas variis instantiis, veluti quibusdam nebulis, obscurat et nititur. Scotus in 3. dist. 14. qu. 2. sed illas Capreolus, Cajetanus, & Ferrarientis, facile depellunt, unde in his immorari non expedit. Recentiores etiam aliquas excogitarunt solutiones, ut vim ejus eluderent. Quidam enim dicunt, cognitionem omnium effectuum in divina essentia cognita, ad summum exigere vel arguere comprehensionem divinae omnipotentiae, non autem divinae essentiae. Alij respondent non comprehendi etiam divinam omnipotentiam per cognitionem omnium creaturarum in illa; quia cognita divina omnipotentia sub omni connexione ad creaturas, adhuc restat cognoscenda secundum connexionem identitatis quam habet cum ceteris attributis. Alij asserunt ex cognitione omnium possibilem in divina omnipotentia, non colligi ejus comprehensionem, quia omnium possibilem collectio non est adaequatus terminus cognoscibilitatis omnipotentiae, cum etiam creaturae repugnantes in omnipotentia possint cognosci. Aliorum denique solutio est, cognitionem omnium possibilem in divina essentia, non esse, nec inferre comprehensionem intensivam illius, sed tantum extensivam, quam intellectui humano Christi non repugnare existimant.

31. Verum haec frivola sunt, & facile possunt depelli. Primum quidem, tum quia non stat rei virtutem comprehendi, & non comprehendi essentiam: Ergo si ex cognitione omnium possibilem colligitur omnipotentiae comprehensio, ex illa etiam inferatur comprehensio divinae essentiae. Tum etiam, quia sicut divina essentia est infinita, ita etiam divina virtus & potentia: Sed intellectus creatus non potest comprehendere essentiam divinam, ratione infinitatis: Ergo nec divinam virtutem seu potentiam. Quo discursu utitur S. Doctor quaest. 20. de verit. art. 5. in secundo argumento *sed contra*, & 3. contra Gent. cap. 16. ratione 3.

32. Secundum etiam futile est, nam videns in Dei omnipotentia creaturas posibles, illam intuitivè cognoscit: Sed implicat intuitivè cognosci Dei omnipotentiam, non cognita connexione quam habet cum ceteris attributis, cum indentificetur realiter cum illis: Ergo repugnat cognosci creaturas posibles in Dei omnipotentia tanquam in causa, nisi cognoscatur connexio quam habet cum ceteris attributis.

33. Non valet etiam tertia solutio: Non stat enim omnia possibilea cognosci, & impossibilea latere: Ergo ex non cognitione impossibilem, omnibus possibilebus cognitis, divina omnipotentia comprehensio negari nequit. Consequentia manifesta est. Antecedens probatur. Impossibilia non possunt in seipsis cognosci, nec etiam

in divina omnipotentia, sed solum cognosci sunt ratione ipsorum possibilem, licet malum bona creata, & negationes per formas oppositas cognosci a Deo docet D. Thomas 1. p. qu. 1. art. 9. & 10. Ergo omnibus possibilebus cognitis, non possunt impossibilea cognosci.

Ultima demum solutio, quae apud Recentiores frequentior est, facile potest refelli. nam cognitio omnium creaturarum in verbo, sicut dicat explicite & formaliter infinitam extensivam, illativè tamen & virtualiter, inferre intensivam, subindeque comprehensionem intensivam divinae essentiae & omnipotentiae quia non potest penetrari virtus infinita & infinite participabilis, sine infinita claritate & distinctione, cum hac sola sufficiat ad penetrandum in eum modum quo virtus illa infinita participabilis est; tanto siquidem majus seu intensius lumen gloriae requiritur, quanto plures creaturae posibles in divina omnipotentia cognoscuntur: Ergo ad exhaustivam & penetrativam finitam rerum possibilem quae in Dei essentia potentia latent collectionem, lumen gloriae infinite intensum requiritur. Quo discursu utitur Thomas 1. p. qu. 12. 7. ad probandum Deum posse comprehendi ab intellectu creato, lumen gloriae perfuso. *Intantum* (inquit) *intellectus creatus divinam essentiam perfectius vel minus perfecte cognoscit, inquantum maiori vel minori lumine glorie perfunditur: cum igitur lumen glorie creatum, non cumque intellectu creato receptum, non possit dici finitum, impossibile est quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscatur, unde impossibile est quod Deum comprehendat.*

5. 11.

Solvuntur objectiones.

Plures ac difficiles contra nostram conclusionem & rationem D. Thomae, fieri possunt instantiae, quas ad maiorem claritatem & brevitatem, sequenti objectione proponemus & concludemus.

Obijcies ergo: Si Christus per scientiam beatam omnes creaturas posibles in Dei essentia & omnipotentia non cognosceret, maxime qui intellectus creatus animae Christi Dei essentia & omnipotentiam comprehenderet, quod est impossibile: Sed ex cognitione omnium possibilem in verbo, non inferatur comprehensio divinae essentiae & omnipotentiae: Ergo praecipuum nostrae conclusionis fundamentum corrumpitur. Major ex supra dictis patet, Minor vero in quaest. difficultas, ostenditur primò Angelus inferior non comprehendit superiorem, ut docuitur Tractatu de Angelis, & tamen Angelus inferior cognoscit omnia naturalia quae in Angelo superiori virtualiter continentur, alias posset de naturalibus a superiori illuminari, contra D. Thomam 1. p. qu. 109. art. 3. ad 2. ubi asserit de his quae pertinent ad ordinem naturalem, quoniam Angelum non illuminare alterum, sed tantum de his quae supra naturam sunt: Ergo ex cognitione eorum quae in aliquo virtualiter continentur non sequitur illius comprehensio, & consequenter licet Christus omnia possibilea in Dei omnipotentia cognosceret, non propterea tamen illam comprehenderet.

Secundò, Ex cognitione eorum quae Deo

venit formaliter, in divina essentia cognita, A non sequitur comprehensio illius, alias quilibet beatus Deum comprehenderet, cum in divina essentia cognita relationes, & attributa, & alia, quæ Deo formaliter competunt, perfectè cognoscat: Ergo similiter ex cognitione omnium possibilium, quæ in divina omnipotentia continentur eminenter, non sequitur illius comprehensio. Antecedens patet, Consequentia verò probatur. Quando duo alicui insunt ordinatè, si ex cognitione primi non inferitur comprehensio ejus, nec colligitur ex secundi cognitione: Sed convenientia formaliter Deo sunt ratio convenientiæ illorum, quæ in ipso sunt eminenter: Ergo si ex cognitione omnium convenientium formaliter, Dei comprehensio non sequitur, illa non potest inferri ex omnium possibilium cognitione, quæ in Deo sunt eminenter.

Tertio, Quidquid Deus potest facere, est minus quam ipse Deus, subindeque facilius potest ab anima Christi cognosci: Sed Deus potest videri, & de facto videtur ab anima Christi absque eo, quod ab ipsa comprehendatur: Ergo à fortiori tota collectio rerum possibilium in divina essentia cognosci poterit absque ejus comprehensione, & sic ex comprehensione omnium possibilium in verbo non sequitur ejus comprehensio.

Quarto, Cognoscens unum effectum in verbo non comprehendit divinam omnipotentiam, quatenus est causa illius: Ergo cognoscens omnia possibilia in verbo, non comprehendit omnipotentiam divinam, ut est causa omnium possibilium, ac proinde ex cognitione omnium possibilium in verbo, non rectè inferitur comprehensio omnipotentiae divinæ.

Denique, possunt omnia possibilia in verbo cognosci majori & minori claritate: Sed cognitæ claritate minori non comprehenduntur, cum comprehensio perfectissimum cognoscendi modum importet: Ergo possunt omnia possibilia in verbo cognosci absque ejus comprehensione: Minor patet, Major verò probatur: Tum quia singula possibilia possunt cognosci cognitionibus inæqualis claritatis: Ergo & omnia collectivè. Tum etiam, quia omnia, quæ continentur virtualiter in Gabriele v.g. minori claritate cognoscuntur ab ipso, quam ab Angelo summo, & minori ab hoc, quam à Deo: Ergo pariter omnia in omnipotentia contenta collectivè sumpta terminare possunt cognitiones in claritate inæquales.

Hæc instantiæ, licet difficiles appareant, ex fundamentis tamen supra statutis facile dilui possunt. Unde ad objectionem respondeo, concessâ Majori negando Minorem, ad cujus primam probationem, concessâ Antecedente, distinguo Consequens: Ex cognitione illorum, quæ in aliquo virtualiter continentur non sequitur ipsius comprehensio, si illa cognoscantur in ipso, & ex vi cognitionis illius, nego. Si cognoscantur in seipsis, & independenter ab alio prius cognito, concedo. Licet ergo Angelus inferior omnia ad ordinem naturæ spectantia, quæ in virtute Angeli superioris continentur, cognoscat, ipsum tamen non comprehendit, quia ea non cognoscit in ipso, & ex ipso, seu ex vi cognitionis ad superiorem Angelum terminatæ, sed immediate in seipsis per species à Deo infusæ, ut docet S. Thomas 1. p. qu. 56. art. 2. Anima verò Christi, si omnia possibilia in verbo

cognosceret, in essentia & omnipotentia divina ut in causa, & ex vi cognitionis illius, ea videret, & sic illam comprehenderet.

Ad secundam distinguo Majorem: Ex cognitione comprehensiva illorum, quæ Deo conveniunt formaliter, non sequitur comprehensio illius, nego Majorem. Ex cognitione tantum quidditativa illorum, concedo Majorem, & concessâ Minori, nego Consequentiam: quia omnia, quæ in Deo eminenter continentur, non possunt cognosci quidditativè, & non comprehensive, & consequenter nisi divina virtus comprehendatur: illa verò, quæ formaliter competunt Deo, nimirum attributa, possunt in divina essentia cognosci quidditativè, & non comprehensive, & ideo ex cognitione omnium attributorum in divina essentia cognita, non sequitur divinæ essentiae comprehensio, bene tamen ex omnium possibilium cognitione in divina omnipotentia ipsius comprehensio colligitur.

Dices: Ideo quæ Deo formaliter insunt, posse cognosci quidditativè, & non comprehensive, quia possunt modò finito cognosci: Sed ea pariter, quæ in Deo eminenter continentur, possunt cognosci finito modò: Ergo possunt etiam quidditativè, & non comprehensive cognosci. Probatur Minor: Ideo non possunt finito modò cognosci, quia cognoscuntur in Deo tanquam in causa, ac proinde illorum omnium cognitio dependet ex modo adæquato cognitionis: At hæc ratio obstat nequit: Ergo &c. Probatur Minor: Etiam perfectiones attributales Dei cognoscuntur in divina essentia, ut in sui causa virtuali, & tamen possunt omnes cognosci in divina essentia cognita modò finito, & ipsi non adæquato: Ergo quamvis possibilia cognoscantur in divina essentia ut causa, poterunt omnia cognosci in divina essentia cognita modò finito, & ipsi non adæquato.

Respondeo negando Minorem, ad cujus probationem, nego etiam Minorem. Ad probationem verò illius, nego Consequentiam & paritatem. Ratio autem discriminis traditur à Cajetano 1. p. qu. 12. art. 8. ad 1. scoti, sumiturque ex D. Thoma qu. 20. de verit. art. 5. in corp. Ea enim, quæ alicui formaliter competunt, illo visò, statim cognoscuntur, quia sunt de apparentibus manifestè: unde sicut visio causæ modum intensivum cognitionis non perit, sed solum cognitionis substantiam; ita quæ formaliter causæ insunt, non modum, sed substantiam cognitionis causæ sequuntur; & ideo possunt & debent omnia, quæ formaliter Deo insunt, visâ illius essentia, quantumvis debili & finito modò cognosci. Illa autem, quæ eminenter continentur in Deo, non apparent manifestè, sed latent in causa, & ideo non cognoscuntur ex vi substantiæ cognitionis causæ, sed sequuntur modum intensivum & penetrativum cognitionis causæ; subindeque ut omnia cognoscantur in illa, necessarium esse cognitionem adæquari causæ in modo, esseque illius comprehensionem.

Ad tertiam dicendum, quod licet omnium possibilium cognitio extrà verbum foret quid minus, quam ipse Deus ut cognoscibilis; omnium tamen possibilium collectio, non ut in se cognoscenda, sed ut cognoscenda in verbo, non est quid minus, quam Deus ipse in ratione intelligibilis, quia prout sic ipsius Dei intelligibilitate intelligibilis constituitur.

Eccc 3

Ad

Ad quartam concessio Antecedente, nego Consequentiam, quia unus effectus possibilis non est terminus adæquatus omnipotentia; omnia verò possibilia terminativa adæquant omnipotentiam: virtus autem causa non comprehenditur, nisi in illa adæquatus terminus cognoscatur: unde licet ex cognitione unius possibilis non possit inferri comprehensio divinæ omnipotentia, bene tamen ex cognitione omnium possibilem.

46. Ad ultimam, nego Majorem, ad cuius primam probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam & paritatem: Ratio autem discriminis est, quia singuli effectus possibiles possunt in divina essentia cognosci secundum plures & pauciores rationes, & consequenter ex maiori & minori divina essentia penetratior; nam quo magis Dei essentia penetratur, eo plures effectus, vel rationes effectuum cognoscuntur in illa: cognitio autem omnibus possibilebus collectivè, non restant plures rationes in effectibus cognoscibiles, subindeque nec divina essentia remanet amplius penetrabilis, nec perfectiori cognitione visibilis.

Ad secundam probationem Majoris, concessio Antecedente, nego Consequentiam: nam omnes effectus in Gabriele v. g. virtualiter contenti, ad adæquatam sui cognitionem in ipso Gabriele ut in causa, non petunt nisi claritatem, perfectionemque cognitionis à cognoscibilitate Gabrielis requiritur; & quia hæc suprema non est, sed potest major claritas dari, & de facto datur in cognitione Dei, & Angeli superioris, consequens fit, ut omnes effectus in illo contenti ut in causa possint cognitionibus in qualis claritatis cognosci: omnes autem divinæ omnipotentia effectus, petunt ad sui cognitionem in divina omnipotentia claritatem, efficaciam, & perfectionem à cognoscibilitate omnipotentia requiritur, quia major dari non potest, & ideo non possunt collectivè sumpti cognitionibus inæqualis claritatis & perfectionis cognosci.

### ARTICULUS III.

*An beata Christi scientia ad omnia præsentia, præterita, & futura se extendat?*

#### §. I.

*Relatis sententijs conclusio affirmativa statuitur.*

47. **A**rticulo præcedenti ostensum est, scientiam Christi beatam ad omnia possibilia, quæ in Dei potentia infinita latent, non se extendere, subindeque non ferri ad omnia, quæ continentur in scientia Dei, quam Theologi simplicis notitia seu intelligentia vocant. Sed adhuc discutendum restat, an saltem Christus per scientiam beatam omnia præsentia, præterita, & futura videat, eaque omnia objecta attingat, quæ à Deo per scientiam visionis cognoscuntur. Id enim negant plures ex antiquis Theologis, ut Henricus, Scotus, Gabriel, Ricardus, Marsilius, Paludanus, & alij, quos refert & sequitur Salas 1. 2. qu. 3. Tract. 2. disp. 4. ubi ait sententiam istam se probabiliorē putaturum, nisi autoritas Angelici Doctoris in contrarium obstarat. Illam etiam aliqui Recentiores sequuntur. Sed affirmans sententia non solum apud domesticos, sed etiam apud extraneos communis est eamque adeo certam existimat Vazquez hic disp. 5. cap. 2. ut eam esse certā de tenendam allerat. Sed

quidquid sit de hac censura, quæ nimis videtur rigida,

Dico, scientia Christi beata ad omnia præsentia, præterita, & futura se extendit. Ita D. Thomas hic art. 2. in corp. ubi ait quod anima Christi in verbo cognoscit omnia existentia secundum quicumque tempus: id est quæ sunt, fuerunt, vel erunt. Et in resp. ad 2. aliter, quod anima Christi scit omnia, quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam visionis, non tamen omnia quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentia, de qua plura scit Deus in seipso, quam anima Christi. Ita us per scientiam simplicis intelligentia omnia possibilia, quæ in sua latent omnipotentia ad se ipso ut in causa cognoscit: per scientiam autem visionis, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, ut præsentia in sua æternitate intuetur, ut in Tractatu scientia Dei fusè declaravimus: Ergo in scientia Christi beata omnia possibilia non attingat, ad omnia tamen præsentia, præterita, & futura se extendit.

Ratio etiam, quam S. Doctor in corpore iustidem articuli innuat, id suadet: Etenim omnes Beati cognoscunt in divina essentia per beatificam visionem omnia ad suum statum spectantia: Sed ad Christi, etiam ut hominis, statum pertinent res omnes præsentia, præterita, & futura: Ergo scientia Christi beata ad illa omnia se extendit. Major in Tract. de visione beatificæ probata est, tū ex Concilio Senonensi, ubi ferente Beatis in divinitatis speculo innotescit quidquid illorum interfit. Iū ex eo quod ratione beatitudinis est omne rationabile. Peritorum desiderium satiare, subindeque desiderium illud quod habent sciendi quidquid pertinet ad proprium statum. Minor verò est certa, nam Christus secundum quod homo, est dominus omnium rerum, juxta illud Math. ult. Data est tibi omnia potestas in celo & in terra. Et Psalm. 110. omnia subiecisti sub pedibus eius. Et Joan. 1. 3. omnia quia omnia dedit ei Pater in manus. Est etiam creaturarum rationalium iudex, ut constat ex Joan. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Ergo ad ipsum ratione domini & iudiciaria potestatis pertinent omnes rationales creatura, omnesque illorum volitiones & cogitationes præsentia, præterita, vel futura.

Dices, quod licet cogitationes omnes hominum, quæ finale iudicium præcedunt, pertinent ad Christum ut iudicem, non tamen illæ, quæ finale iudicium sequuntur, cum pro illis nec premium, nec penam sint accepturæ ac promissæ eo quod omnia ad Christum spectantia, ab ipso per scientiam beatam, seu beatificam visionem cognoscantur, non sequitur ipsum per eandem scientiam omnes actus futuros creaturarum rationalium agnoscere.

Sed contra primò: Cogitationes beatorum damnatorum, quas post finale iudicium habebunt, pertinent ad illorum premium, vel penam accidentalem: Sed ad iudicem spectant non solum actiones illæ, quæ premium aut penam merentur, sed etiam illæ, quæ dantur in premium, vel in penam: Ergo cogitationes quæ beati & damnati post finale iudicium eliciuntur ad Christum ut iudicem spectant.

Secundo: Esto cogitationes illæ ad Christum ut iudicem non spectarent, ad ipsum tamen ut supremum omnium dominum non possunt pertinere, cum Christo ut homini, ratione superioris domini, quod à Patre in omnes creaturas accepit.

accepti, omnia sive quæ in cœlis, sive quæ in terra, sive quæ in inferno existunt, perfectissimè subiecta sunt.

## §. II.

Corollaria notata digna.

11. Ex dictis inferes primò, Christum per scientiam beatam videre in verbo infinita accidentia, non tamen infinitas substantias.

Prima pars patet ex dictis, si enim intellectus Christi cognoscat in verbo per scientiam beatam omnia, quæ quocumq; modo sunt, fuerunt, & erunt, cum infinita accidentia successivè futura sint per totam æternitatem, nempe infinitæ cogitationes & affectiones Angelorum & hominum, sequitur necessariò Christum ut hominem videre in verbo infinita accidentia successivè futura. Ex quo probata manet secunda pars, cum enim substantia non sint entia successivè, sed permanentia, non datur, etiam in mensura æternitatis, numerus substantiarum actu infinitus.

14. Inferes secundo, Christum non successivè, sed simul, & à principio beatitudinis, omnia præsentia, præterita, & futura cognoscere: Tum quia illa cognoscit per scientiam beatam, seu visionem beatificam, quæ cum æternitate mensuretur, nullam successione, seu mutationem patitur. Unde Augustinus 5. de Trinit. cap. 16. de homine in statu beatitudinis loquens ait: *Non erunt volubiles nostræ cogitationes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus*. Tum etiam, quia intellectum nostrum plura simul non cognoscere, provenit ex eo, quòd illa per plures species cognoscat, unde omnia, quæ per unam speciem repræsentantur, potest simul intelligere: Sed quæ à Christo & alijs Beatis cognoscuntur in verbo, unà specie repræsentantur, scilicet divinà essentia: Ergo simul omnia cognoscuntur. Sic discurret D. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 10.

16. Inferes tertio, Beatitudinem animæ Christi esse maiorem beatitudine cujusvis creaturæ possibilis de lege ordinaria, non autem de potentia absoluta.

Prima pars probatur: Major vel minor perfectio visionis beatificæ provenit ex majori, vel minori lumine gloriæ, ut in Tractatu de visione beata ostensum est: Sed lumen gloriæ concessum animæ Christi est perfectius & intensius lumine cujusvis creaturæ de lege Dei ordinaria possibilis: Ergo & ejus scientia, seu visio beatifica. Minor probatur: Perfectio luminis gloriæ cõmensuratur perfectioni gratiæ habitualis, ad quam ut proprietas consequitur: Sed gratia habitualis Christi est major gratia omnium creaturarum, ut supra ostensum est: Ergo lumen gloriæ animæ Christi intensius est lumine cujusvis creaturæ de lege Dei ordinaria possibilis.

Eadem ratione suadet secunda pars: Sicut enim gratia Christi de potentia absoluta potuit esse intensior, ita & ejus beatitudo: Sed potuit in hac majori intensione cujusvis alteri creaturæ communicari: Ergo potuit beatitudo puræ creaturæ esse major intensivè beatitudine animæ Christi de potentia absoluta.

## §. III.

Solvuntur objectiones.

16. Obijcies primò contrà præcedentem conclusionem: Si beata Christi scientia ad omnia

præsentia, præterita, & futura se extenderet, per illam cognosceret Christus quicquid Deus cognoscit scientiæ visionis: Consequens non potest admitti: Ergo nec Antecedens. Sequela Majoris est evidens, nihil enim Deus cognoscit per scientiam visionis, præter futura, præterita, & præsentia. Minor verò probatur, Si Christus per scientiam beatam videret quicquid cognoscitur à Deo per scientiam visionis, comprehenderet talem scientiam: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Probatur sequela: Cognitio termini adæquati alicujus potentie aut virtutis, est illius comprehensio, vel saltem infert illius comprehensionem, ut art. præced. dicebamus: Ergo similiter cognitio objecti adæquati scientiæ Dei liberæ, quæ visionis dicitur, est, vel saltem infert comprehensionem illius, subindeque si beata Christi scientia se extenderet ad omnia præsentia, præterita, & futura, quæ sunt objectum adæquatum scientiæ visionis Dei, illam comprehenderet.

Respondeo concessâ Majori, negando Minorem, ut potè expressè contrà S. Thomam hic art. 2. ad 2. ubi ait quòd *anima Christi scit omnia, quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam visionis*. Et in resp. ad 3. asserit, quòd *scientia animæ Christi, quam habet in verbo, parificatur scientiæ visionis, quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium*. Undè ad probationem in contrarium, nego sequelam Majoris, & ad illius probationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem: nam cognitio omnium, ad quæ se extendit potentia, necessariò illam adæquat in modo cognoscibilitatis, ut constat ex dictis articulo præcedenti, ac proinde est, vel infert comprehensionem illius: cognitio autem omnium, ad quæ scientia libera terminatur, non adæquare debet necessariò modum intensivum cognoscibilitatis illius, quod necessarium esset ad ejus comprehensionem. Hæc solutio fundamentum habet in D. Thoma hic art. 2. ad 3. ubi docet scientiam animæ Christi, quam habet in verbo, etsi parificetur scientiæ visionis, quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium, infinitè ab illa quoad claritatem excedi. Si verò hujus discriminis rationem requiras, dico eam peti ex eo, quòd cognitio effectuum in causa habetur ex vi penetrationis causæ, & ideo ut ad omnes effectus contentos in causa terminetur, adæquata causæ penetratio requiritur: cognitio verò existentium in scientia Dei libera, vel in decreto, non habetur ex vi penetrationis decreti, sed tantum ex vi revelationis illius; ac proinde ut in decreto vel scientia libera res futura, vel præsentis cognoscantur, illorum penetratio non requiritur, nec consequenter adæquatio cum modo, vel in modo cognoscibilitatis illorum.

Quod ut magis percipiatur, & instantiæ, quæ posset fieri in contrarium, occurratur: Advertendum est, cognitionem existentium, vel futurorum dupliciter considerari posse, scilicet vel prout terminatur ad eorum quidditatem, vel prout illarum tantum existentiam aut futuritionem attingit. Sumpta primò modò, plurius cognitio perfectiorem Dei cognitionem, & illius ut causæ penetrationem supponit; sumpta verò secundò modò, maiorem penetrationem divinæ essentiae non petit, sed tantum decreti liberi revelationem; unde aliquandò minus beatus plura de existentibus aut futuris cognoscit, quam

quanti videat magis beatus (quia numerum plura ad illius, quam ad istius statum pertinent) & tamen minus beatus Deum minus perfecte videt, & essentiam divinam minus penetrat, quam magis beatus. Et in hoc sensu intelligendus est D. Thomas, dum ait 1. p. qu. 12. art. 8. *Eorum quae Deus facit, vel facere potest, ratio aliquis intellectus plura cognoscit, quando perfectius Deum videt.* Ibi enim loquitur de cognitione existentium quantum ad eorum quidditatem, non vero de cognitione ipsorum quoad an est, quae sub hac ratione, non ex vi penetrationis divinae essentiae, sed ex vi penetrationis, seu revelationis divini decreti habetur à Beatis.

59. Obijciens secundò: Si scientia Christi beata ad omnia praesentia, praeterita & futura se extendere, attingeret multitudinem actu infinitam. Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet ex dictis §. precedenti, corollariorum. Minor autem probatur primò ex D. Thoma hic art. 3. in corp. ubi sic ait: *Quantum igitur ad primum modum scientiae* (scilicet scientiae visionis) *anima Christi non fuit infinita.* Ergo juxta D. Thomam anima Christi per scientiam, seu visionem beatam, ut visio est, non cognoscit multitudinem actu infinitam.

Secundò, Quae repugnat esse, repugnat etiam per veram cognitionem cognosci: Sed repugnat dari multitudinem actu infinitam: Ergo & illam à Christo per scientiam beatam cognosci.

Tertiò, Cognitionis, qua simul cognoscuntur infinita objecta, debet esse similiter infinita; Tum quia aequivalere debet infinitis cognitionibus divisivè ad singula illa objecta terminabilibus; Tum etiam quia si cognitio attingens in verbo duo objecta, est perfectior illà, quae solum attingit unum objectum, & cognitio attingens tria objecta excedit in perfectione eam, quae duo solum attingit. & sic deinceps, illa quae infinita objecta attingit in verbo, erit actu perfectioris infinita; quod tamen de scientia beata Christi dici non potest, quandoquidem cognitio animae Christi, eo ipso quod creata est, debet esse finita.

60. Confirmatur: Cùm dicitur animam Christi simul cognoscere in verbo infinita accidentia futura successivè, vel hoc intelligitur de cognitione confusa, qua cognoscuntur res in communi, vel de cognitione determinata, quae in particulari cognoscuntur. Non primum, tum quia cognitio confusa est valde imperfecta, atque adeò non decet animam Christi. Tum etiam quia cognitio accidentium successivè futurorum convenit Christo in quantum est, ut diximus, omnium iudex: cognitio autem iudicis debet esse singulorum in particulari & distincta. Non etiam secundum, quia ad cognoscendum distinctè & in particulari infinita, opus est lumine & virtute cognoscitivà infinite intensà: si enim ad cognoscendum unum objectum requiratur virtus & lumen ut unum; ad cognoscendum duo objecta, lumen intensum ut duo, & ita deinceps, manifestum relinquitur, ad simul cognoscenda infinita objecta, requiri lumen infinite intensum.

61. Respondeo concessa sequela Majoris, negando Minorem. Ad primam probationem respondeo ex Cajetano hic art. 3. D. Thomam loqui de simpliciter entibus in actu, nempe de substantijs, non autem de secundum quid entibus in actu, scilicet de accidentibus: videntur enim ab anima Christi Domini cogitationes om-

nes Beatorum & damnatorum, quae omnia per tam aeternitatem à parte post sunt. Ibi magis successura, necessario sunt infinite successura proprijs durationibus, actu vero in aeternitate, quae cum sit mensura infinita simul & indivisibilis, ambit & continet quae in proprijs mensuris & durationibus sibi invicem succedere debent ut in Tractatu de scientia Dei fuit expostum. Quod autem haec sit mensura, Doctoris, concedo primò, quia ejus ratio sumpta ex eo, quod generationes cessabunt motu coeli cessante, non probat de substantijs, quae sunt per generationem, non vero de accidentibus his, quae à mundo non dependent. Secundò quia art. 2. dicit animam Christi videre in divina essentia omnia, quae Deus videt per scientiam visionis. Sed & qu. 14. art. 12. asserit Deum per scientiam visionis infinita cognoscere: Ergo juxta ipsum animam Christi in verbo actu infinita cognoscit, ut promittit cum hic negat cognoscere infinita, loquitur de infinitis substantijs, non vero de accidentibus.

Ad secundam Minoris probationem, concessa Majori, distinguo Minorem: Repugnat multitudinem actu infinita, in propria duratione, concedo Minorem: actu in hunc aeternitatem, cum succellone in proprijs durationibus, nego Minorem & Consequentiam.

- C Ad tertiam distinguo Minorem: Cognitionis qua simul cognoscuntur infinita numero entia, debet esse infinita, extensivè, five materialiter, concedo. Intensivè, five formaliter, subdistinguo: Si sint omnia specie diversa, concedo: si solo numero differant (qualiter differant inter se infinita cogitationes hominum futurae per totam aeternitatem) nego. Ratio disparitatis est, quia in infinita multitudine eorum, quae specie conveniunt, & solo numero differunt inter se, unum non addit supra aliud perfectionem formalem, sicut in multitudine specie distinctarum: unde quando dicitur in objectione, cognitio qua Christus simul videt in verbo infinita, aequivalere debet infinitis cognitionibus: solo numero differentibus, concedo: specie diversa, nego. Similiter cum urgetur: cognitio attingens in verbo duo objecta, debet esse perfectior ea, quae unum ex illis objectis duntaxat attingit, extensivè, five materialiter, concedo. Intensivè, five formaliter, subdistinguo: Si diversa objecta differant specie, concedo. Si solo numero, nego. Et per hoc patet ad confirmationem: quamvis enim ad cognoscendum distinctè duo objecta specie diversa requiratur lumen intensum ut duo; ad videndum tamen duomericè tantum distincta sufficit lumen ut unum ad ea extensum.

Potest etiam dici quòd quando plura cognoscuntur in seipsis immediatè, & per speciem propriam & adequatam, ad cognoscenda infinita objecta requiratur virtus & lumen infinitum: non autem quando illa plura cognoscuntur in alio prius cognito, & per unam & eandem speciem, ut contingit in scientia beata Christi, quae infinitas cogitationes hominum & Angelorum cognoscit in verbo per unicam speciem, scilicet per essentiam divinam, quae est omnium multitudo perfecta. Solutio est D. Thomae quae ostendit art. 4. ad 10. ubi sic ait: *Scientia quantum, quae attenditur secundum numerum sortium, est quasi per accidentia & materialia, & praecipue quando in multis scitis est una ratio sciendi, scilicet enim*

si diversis rationibus cognoscuntur. Sed illa quanti-  
tas quæ est scientia cognitionis, scientia per se compe-  
ritur, quia quantitas talis attenditur secundum extrinsecum  
operativum intellectus ab intellectu virtute.

Obijciens tertio: Si scientia beata Christi Do-  
mini omnia præsentia, futura, & præterita co-  
gnosceret, æquæ se extenderet ac scientia visio-  
nis Dei. Sed hoc non videtur manifestum, scientia  
enim visionis in Deo non se extendit ad merè  
possibilia, sed duntaxat ad præsentia, præterita,  
& futura. Minor verò probatur: Cum perfectio  
scientiæ ex numero objectorum ad quæ se ex-  
tendit attendatur, si scientia Christi beatæ, co-  
gnoscat omnia quæ Deus scit scientia visionis, æ-  
quæ perfectæ ac scientia visionis quæ est in  
Deo, sed hoc videtur absurdum. Ergo & illud.

Respondeo primo, negando sequelam Majō-  
ris, ad cuius probationem dici potest, quod obje-  
ctum ad æquationem scientiæ visionis Dei, non so-  
lum est entia positiva, existentia, vel futura, sed  
etiam negationes rerum quas Deus decrevit non  
producere, unde ex eo quod omnia entia positi-  
va, existentia, vel futura, à scientia Christi beatæ  
cognoscantur, non sequitur quod attingat obje-  
ctum ad æquationem scientiæ liberæ seu visionis  
quæ est in Deo.

Respondeo secundo, datâ Majōri, negando  
Minorem, ad cuius probationem, distinguo Majō-  
rem. Si scientia Christi beatæ cognoscat omnia  
quæ Deus scit scientia visionis, erit æquæ perfec-  
ta, materialiter & extensivè, ac scientia visionis  
Dei, concedo. Formaliter & intensivè, nego.  
Solutio est D. Thomæ hic art. 2. ad 3. ubi sic di-  
citur: *Quantitas scientiæ non solum attenditur secun-  
dum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem  
cognitionis. Quamvis igitur scientia animæ Christi  
quam habet in verbo, parificetur scientiæ visionis quam  
Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium,  
scientia tamen dei excedit in infinitum, quantum ad  
claritatem cognitionis, scientiam animæ Christi, quia  
tamen increatum divini intellectus, in infinitum ex-  
cedit lumen creatum quodcumque receptum in anima  
Christi. Licet absolute loquendo scientia divina ex-  
cedat scientiam animæ Christi, non solum quantum ad  
modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum  
scibilium. Quia nimirum scientia Dei, prout est  
simplicis intelligentiæ (sub qua ratione non di-  
stinguitur virtualiter, sed solâ consideratione di-  
versæ objecti materialis, à scientia visionis) ad  
omnia possibilia se extendit, non verò scientia  
Christi beatæ, ut docet idem S. Doctor in corpore  
eiusdem articuli, & nos articulo præcedenti  
fuisse ostendimus.*

## DISPUTATIO XVII.

## De scientia infusa animæ Christi.

Ad questionem 11. D. Thomæ.

Consideratâ scientiâ Christi beatâ, progre-  
dimur ad aliam speciem scientiæ Christi,  
quæ à Theologis indita seu infusa appella-  
tur: circa quam plures & graves occurrunt dif-  
ficultates, articulis sequentibus resolvendæ.

Tom. IV.

## ARTICULUS PRIMUS.

An & quotuplex scientia per se fusa in  
Christo admittenda sit?

PRO intelligentia tituli, & huius diffi-  
cultatis resolutione, advertendum est quod scientia  
potest dici dupliciter infusa, per se tenet & per  
accidens. Illa dicitur infusa per accidens, quæ  
quantum est ex se acquiri potest per proprios  
actus ipsius intellectus, de facto tamen non sic  
acquiritur; quia Deus vult se solo illam produ-  
cere, sicut fuit scientia Adæ, quæ ejusdem erat  
rationis cum illâ quam communiter homines  
proprio sibi compant labore, sed tamen per  
accidens fuit ei a Deo indita. Scientia verò infusa  
per se, est illa quæ non nisi a Deo causari potest.  
Quando ergo quærimus in præsentia, utrum in  
Christo sit scientia infusa, non loquimur de sci-  
entia infusa per accidens, seu per se acquisita, sed  
de ea quæ est infusa per se: de quâ etiam inquiri-  
mus, quotuplex illa fuerit in Christo, & an in il-  
lo solum fuerit scientia infusa supernaturalis, vel  
utrum præter naturalem, & ad objecta su-  
pernaturalia terminatam, alia naturalis, quæ res  
ordinis naturalis per species infusas modo an-  
gelico cognosceret, in eo constituenda sit?

## §. I.

Veraque difficultas duplici conclusione resolvitur.

Dico primo: Præter scientiam beatam fuit in  
anima Christi Domini scientia per se infusa,  
ita D. Thomæ hic art. 1. & communiter Theo-  
logi, exceptis Nominalibus, Alenſi, D. Bona-  
ventura, & Durando, qui scientiam tantum be-  
atam, & per se acquisitam tribuunt Christo.

Probatur primo conclusio ex Scripturâ, asse-  
rit enim Apostolus, omnes thesaurus sapientiæ  
& scientiæ Dei fuisse in Christo reconditos: Er-  
go necesse est ipsum habuisse scientiam per se  
infusam, quæ est nobilissima portio scientiæ su-  
pernaturalis, quæ ab Apostolo nominatur sci-  
entia Dei. Unde Joân. 7. mirantibus Judæis ad  
dicentibus: *Quomodo hic litteras scit, cum non didi-  
cerit?* Respondit Jesus: *Mea doctrina non est mea,  
sed ejus qui misit me.* Hoc est non illam meâ in-  
dultâ acquiri, non ab homine illam acceptâ  
neque didici, sed à Patre meo inditam mihi fuit.

Addo quod ad scientiam per se infusam su-  
pernaturalem spectant dona illa Spiritus Sancti,  
quæ ad intellectum pertinent: illa autem fuisse  
in Christo disertè tradit Isaias cap. 11. verbis il-  
lis: *Flos de radice Jesse ascendet (Christus) & requi-  
esceat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ &  
intellectus, spiritus consilii, spiritus scientiæ.* Unde  
multiplices hos spiritus in Christo solo aduna-  
tos observat S. Gregorius 29. moralium cap. 16.  
ad illud: *Nunquid coniungere valis micantes stellæ  
Pleiadas?* quod adducto proposito loco Isaiæ,  
glossat in hunc modum: *Redemptor noster in  
carne veniens Pleiades junxit, quia operationes  
septiformis Spiritus, simul in se, & cunctas ma-  
nentes habuit. De quo per Isaiam dicitur, Egre-  
diatur virga de radice Jesse & flos de radice eius ascen-  
der, & requiesceat super eum Spiritus Domini, spiritus  
sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis,  
spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus*

Fff

timo